



**L**Vdovicus filius fuit Caroli Magni (qui Ger-  
maniã, armis, pietate, & templis auxit) & Hil-  
degardis ducis Sueviã filia. A parentibus bonis  
disciplinis & uirtutibus omnis generis institutus  
fuit, unde effectũ ut esset mitissimĩ ingenij & mox  
mãsuetudine omnibus amabilis. Puer penẽ Aquĩ-  
taniã principatum obtinuit, patris iussu, atq; tum  
præclaros labores aduersus Hispanorum tyran-  
nos suscepit, ita ut multas ipsorum ciuitates uiuẽ-  
te patre, in suam potestatem redegerit. Hinc à pa-  
tre magnatum consilio consors imperij factus. In-  
tellecta itaq; patris morte, quamprimum Aquis-  
granum uenit, atque eius testamento recensito, le-

gata uideiissimẽ distribuit, atque statim à regni proceribus Imperator saluta-  
tus est. Inde diuersarum gentium legatos audiuit, partimq; cum ijs pacem no-  
uam sanxit, partim cum alijs ueterem instaurauit. Ante omnes uerò legatos  
Michaelis Constantinopolitani Imperatoris amicitiam suam petentes, & li-  
bros Dionysij de cœlesti hierarchia dono ferentes, benigne audiuit, atq; ho-  
nestissimẽ donatos remisit. Postea à Steffano Pontifice Romano, eius nomi-  
nis quarto. Remis est unctus, ac Imperiali diademate coronatus. Cum autem  
is septem tantum mensibus sedisset, atq; Paschalis in demortui locum esset sur-  
rogatus, sine Imperatoris consensu, Paschalis ipse ueniam deprecaturus Impe-  
ratorem supplex accessit. Hunc autem Imperator per Bernardum Longobar-  
dorum regem & Arelatensem antistitem reuerenter suscepit, ac agnita culpa,  
dataq; fide, ne posthac in huiusmodi Imperij læderetur authoritas, Romam  
remisit.